Officium Ministri,

VEL

CONCIO

AD

CLERUM.

LONDINENSEM

HABITA

SIONIS COLLEGIO,

Maii 12. 1663.

LONDINI

Typis *R. Davenport*, væneuntque apud *Joh. Williams*, ad Insigne Coronæ in Cœmeterio S. *Pauli*, 1663.

Reverendiſsimo in Chriſto Patri

DOMINO

GILBERTO

Divinâ Providentiâ

ARCHIEPISCOPO

CANTUARIENSI,

METROPOLITANO,

Totiúſque Angliæ Primati.

LIceat (Antiſtes præclariſsime) tanto nomini tenuem hanc opellam *inſcribere*, ſub tuis Auſpiciis peracta eſt; Tu rerum noſtrarum Stator es, et eodem cum Eccleſiâ Propugnaculo indiget hæc ad Clerum Concio. Ut Deus te ſoſpitem Eccleſiæ ſuæ diutiſsime conſervet, votum eſt. Gratiæ tuæ

Devotiſsimi

CAROLI MASONI.

Honoratiſsimo Domino, Domino

GeorgioBerkeley,

BARONI

De { BERKELEY, SEAGRAVE, & BRUCE.

VIr ornatiſsime, deque literis & literatis optime merite. Ut totius Angliæ Metropolitano tuum ſubjungam nomen, hæc ratio induxit. Te pietatis & literarum amor inſignivit & verè Nobilitavit, idque Tibi Sydus affixit, quod oculos advertit meos.

Fidei

Fidei defensio vel Regii Diadematis Corona est, & illi verè Nobiles, qui Deo affines, & Christo consanguinei sunt. Cæteri conspicuâ gaudent infamiâ, & illustri dedecore gloriantur. Ut diu vivas & Musarum, & Charitum amor ardentissime precatur honori tuo addictissimus,

CAROLUS MASONUS.

---

2 *Corinth.*

2 *Corinth.* 2. 16.

Καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός;

NOn ignoro, Viri ſpectatiſſimi, fratreſq; in Chriſto chariſſimi, quantum opus aggredior, idq; poſt Veternum longa deſuetudine contractum, quod vix adhuc excutere poſſum. De Miniſterio dicere molimen ingens, ſupraq; non ſolum vires meas, id eſt infimas, ſed humanas, imo Angelicas, ſi pro dignitate res expendatur. Et vereor ſane, ne, cui mea tenuitas nota eſt, protinus hic reclamet, *Ecquis* tu, qui nobis Theologum inſtitues? ſatis ſit Theologiam profiteri; ne tibi cothurnum Herculis induas, nec id deſignes facinus cui (immane quantum) impar es.

Fateor hæc non immerito dicta: nec in me jam ſuſcipio Cœleſtis Sapientiæ methodum per omnia tradere; non omnino quot Subſtratis innitatur, quot gradibus in perfectiſſimum ædificium aſſurgat, & ipſi tandem Cœlo divinum caput inſerat. Atqui non nihil eſt vel maximis excidere, cum nihil humana poſſit induſtria, quod divinis reſpondeat. Utq; ramentum auri, vel ſtrictura tenuiſſima ſi cum plumbi *acervis* componatur multum *præponderat*, ita *præſtat* Theologiæ ſpecimen mutilum, vel abruptum, quam alia quævis, integra licet, & ſuis abſoluta numeris intueri. Sic Antiquitatis cultores exuvias Chriſti, puta crucis fruſtulum, vel guttam ſanguinis, omni Palæſtinæ præferunt. Huic accedit, quod, ut ex Hercule *Trapezio* monſtrorum ille domitor exhibetur, ita minimis etiam maxima poſſunt indicari, tandemq; ut omnem a me invidiam amoliar, Mercuriales, ut noſtis, ſtatuæ Viatorem eo provehunt, quo nunquam ipſæ ſunt perventuræ. Imo erroris mei beneficium vos lucrifacietis, ſi oſtendero ſcopulum ad quem impegi, & ubi, navi eliſa, vix nudus enatavi.

Deniq; cum ſecundum Sanctum Paulum,
Infirmis Dei potentia perficitur.

Oremus

Oremus ſupplices ut Fons omnis ſapientiæ Paterq; luminum incœptis imbecillibus aſpiret, ut cedant aliquatenus in Dei gloriam & mediocrem ſaltem Eccleſiæ utilitatem, &c.

Ad rem igitur Deo propitio, vobiſque faventibus, Auditores. Occaſio nobis præluceat. Poſtquam divinus noſter Triptolemus longe lateque verbi ſemina diffudiſſet, & ſolis æmulus orbem illuſtraſſet, tandem res ſuas enarrat, Evangelii diſpares ſucceſſus, cujus efficaciam in utramq; partem per Metaphoram odoris exprimit, Χριστοῦ εὐωδία ἐσμὲν τῷ Θεῷ ἐν τοῖς σωζομένοις, καὶ ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις. Odores quidam mortiferi ſunt ut Averni & Aſphaltitæ; ſed hic eadem ſuaveolentia vitam & mortem ſpirat; ὃς γὰρ μύρον πνίγει inquit in locum S. Chryſoſtomus: Et applicate ſatis ad hoc dixit Auguſtinus, quamvis in re diverſa, *Eodem igne rutilat aurum, palea fumat; eadem tribula ſtipulæ comminuuntur, frumenta purgantur; eodem motu & exhalat horribiliter cœnum & ſuaviter olet Unguentum.* Sic eadem concione Maria Magdalene frangitur & in lachrymas effunditur, obdurantur Judæi & χλευάζουσι.

Sed unde diſcriminis Origo, magna eſt controverſia; ſubtilis hic tela texitur, adeo ſubtilis, ut prope viſum ſubterfugiat, & in nihilum evaneſcat.

neſcat. Icaro-Menippi quidam perſpicaces ſunt, qui de Deo ſic argumentantur, ut de cœco & ſurdo Silicernio, decernunt de decretis, figunt refiguntque pro libitu, Ingenio deſultorio & verſatili & exultim ludunt ac laſciviunt, ut Ephemera ſolent in radiis ſolaribus, aut *atoma* Democriti quibus omnia jam moveri viſum eſt ſapientibus. Hoc certum, εὐωδιαθυμάτων odore non delectari Deum, nec tali Thymiamate gaudet afflari, ut nec ſtridore dentium demulcetur, vel ipſa veritate teſte, *Ezec.* 33. 11. imo juramento fidem facit, *Vivens ego ſi volam*, i. e. ſi mihi placeat odor; nam (uti noſtis) ריח eſt *oblectatio*, imo רשעים profligati ſunt & perditi, eorum tamen odore non fruitur Deus, ut quidam volunt. Atqui dicimur ſuavis odor in iis qui pereunt, non ideo quia pereunt, (hæc Apollyontis ὑπερχαριστία eſt) ſed quia conati ſumus, fruſtra licet, eorum ſalutem promovere, qui Dei gratiam repudiarunt.

Saltem hoc Deo gratum eſt, quod ἀναπολόγητοι facti ſunt, quod confitentes habeat reos neceſſe eſt, quos nec frangere malleus, nec ignis liquefacere potuit. Ad Textum via ſternitur, Τὶς πρὸς ταῦτα; Quis æternorum momentis ſufficit adminiſtrandis? in proclivi reſponſum eſt; Nemo mortalium.

mortalium. Si Dignitas ad amuſſim exigatur, dandum eſt humanæ imbecillitati quam plurimum, noſtræ præſertim; Non enim Apoſtoli ſumus *Deique percuſſi*, nec εὐαγγελίζομεν, ſed Evangelium explicamus, quod onus hoc nomine difficilius videtur, quam illud Apoſtolorum; illi θεοδίδακτοι, quod infuſum erat, ſtatim profuderunt: nos haurimus e profundo, & eruimus illinc latentem veritatem multo nixu laborantes.

Nemo igitur cum ſacris ludat, ne ſit officium Miniſtri vel Aſylum ignorantiæ, vel infirmis *Valetudinarium*.

Tria ſunt quæ mihi methodum dabunt, & ordinem; ea nimirum, quæ ſecundum Plutarchum, doctum abſolvunt. Φύσις, μάθησις, ἄσκησις. Indoles, Doctrina & exercitatio. Et cum tria ſuperiora lumina concurrunt, obſervant Aſtronomi quædam eximia et oculos *advertentia* portendi.

De Phyſi primum. Aliptæ futurum Athletam e pueris dilectum, ad futura certamina componunt; et Apollonium recte laudat Cicero, qui cum mercede docuit, ineptum tamen eloquentiæ rejecit, & ad eam artem, cui vidit idoneum, impulit; Et Jeſuitarum hodie politia eſt, neminem ad Eccleſiæ munus admittere, cui non datum eſt aliqua naturali promptitudine defungi officio, ad

quod

quod evocatur. *Fas eſt, vel ab hoſte doceri.*

Nimirum ut *omnis non fert omnia tellus*, ita ſe res habet in Iconibus animorum. Quidam invita Minerva, et Apolline reluctante ſtudiis incumbunt, dein ut Aquilæ rapaces ad Altare convolant, non ut Eccleſiæ miniſtrent, ſed ſibi.

Legimus *Iſa*. 40. pauperrimos *Idololatras* aptiſſima ligna; non carioſa, non putrida, quibus Idola fingant, eligere. Sed nos contra verbum tritiſſimum, ex quolibet ligno facimus Cœli, terræq; Internuntium, huic Mercurialem virgam tradimus.

——*Hac animas ille evocat orco*
Pallentes, alias ad Triſtia Tartara mittit.

Ille medicorum Aphoriſmus, *Naturam quo inclinat, eo impellas*, Eccleſiæ rebus σωαρμόζει. Tunc res noſtræ ſuccedunt fœliciſſime, cum cuiq; proprium datur, ut quam nactus eſt provinciam, adornet. Utq; Fons omnis Sapientiæ montes eminere, valles ſubſidere voluit, ut in cœlo conſtituit duo magna Luminaria, Regem Reginamq; quibus, ut Aulicæ cohortes, alia Sydera ſubminiſtrant: ſic in Eccleſia quidam majoribus Organis moventur, & pleniore pectore ſapiunt ad Regimen. Non omnium eſt gubernatrix prudentia, quidam in Pulpitis diviniſſima facundia pollent ad

pieta-

pietatem animas inflammare, quos in regimine tot Phaetontas diceres, qui nec ſtimulis nec frœnis uti norunt; aut in plano forſan valent, et in campo libero, ſed in confragoſis et præpeditis Scotiſmate quodam confunduntur. Alii periculorum propter ipſa ſunt avidi, et ſigno ad controverſiam dato, micant auribus, ut equus apud Jobum bellicoſus, cui tonitru armatur collum, et clangore buccinæ non conſternatur. Quidam in Paleſtra ſunt ut piſces in ſicco, nihil valent, tam fruſtra ſunt, ac ſi quis det operam ut bovem faciat funambulum. Apud ipſos Concionatores multum Intereſt, quibus Parochiis præficiantur et quarum animarum curam ſuſcipiant. Quidam Nutricum artem habent, et balbutientem facundiam, quæ plus apud Indoctos valet, quam verborum concinna modulatio, et illa Rhetorum κομψὰ λαρυγίσματα.

Imo apud eos qui cepas olent et allia, vel quaſi Circæa virga percuſſi ſetis horreſcere cœperunt, nihil in omni Miniſterio difficilius eſt, quam ad eorum captum inflectere ſermonem; et humi repentem orationem excogitare, præclariſſima eſt Inventio.

De Phyſi dictum eſſet, niſi quod videam mihi quendam obviam Enthuſiaſten, non leni

Spiritus

Spiritus vento impulſum, ſed quodam turbine correptum, hiantibus oculis, auribus eminentibus, caperato vultu, uno oculo ad Cœlum elato, altero ad mentum depreſſo, totumq; hominem ſic compoſitum, ut de induſtria videatur exuiſſe vultum humanum, ut meditari poſſet aliquid divinum. O præclara inquit Theologia, quæ naturam habet originem. Jam nobis uvas ipſi ſentes, et agricanthæ ficus, et tenebræ lucem exhibebunt. *Apage carnalem* Beli *Sacerdotem*, non ſapis quæ ſunt Dei. Pace tua, Tremende Vir, cum debacchatus fueris, et iram decoxeris, hoc tibi reponam. Naturam libenter agnoſcimus depravatam, idque tuo exemplo nimium conſtaret, ſi hoc humanitus eveniret omnibus, quod tibi: ſed *Phyſin* gratia non deſtruit, at potius elevat et perficit. Et licet in piſcatoribus illiteratis oſtenderit Deus efficaciam Spiritus et energiam, et quod ille qui mundum e nihilo creavit, nullis mediis alligetur; attamen in S. Paulo nobis exemplum dedit, quouſq; naturæ rivulus aſſurgat, cum Spiritus beneficio ſupra ripas alveumq; proprium elevetur. Ille plus omnibus præſtitit, agendo et ſcribendo indefeſſus, et licet Apoſtolorum acta vocentur quæ Lucas ad Theophilum ſcripſit, ubique tamen Pauli nomine circumſonant.

Ut

Ut igitur templa Diis falsis addicta, Christo recepto, non statim in cineres & rudera corruebant, sed potius, Deo vero, evocato falso numine, serviebant, Ita natura sponte nascentia primo

Infœcunda quidem, sed læta & fortia surgunt;
Quippe solo natura subest, tamen hæc quoq; si quis
Inserat, & scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint sylvestrem animum, cultuq; frequenti
In quascunq; voces artes, haud tarda sequentur.

Sylvestria, fateor, ingenia nondum disciplina Christi domita, eo esse pejora, quo sunt magis præcocia.

Nam magnis flagitiis obtusi excluduntur; non cujusvis est Ecclesias, aut Respublicas de sedibus suis convellere.

Sed eorum hoc est, Quorum est Elogium, Aut laqueus aut Diadema. Cæteri parvis excidunt, et forte peculatus rei nullo cum sono, nullo terrarum motu oblivioni traduntur. At magna vitia magnis ingeniis accrescunt. Λοτυείη ποταμοῖο μέγας ῥόος, ingens quidem torrens, et horrendo sono in præceps ruit; πολλὼ δὲ μετ' ὕδατι συρφετὸν ἔλκει, at turpissimam colluviem et algas vilissimas secum devolvit. Naaman eximiæ fortitudinis, Vir, sed

leprosus; Solomon oraculum sapientiæ, sed Idolis addictus et fœminis. Tertullianus ad miraculum doctus; sed Montano contaminatus, Apollonius Tyaneus, qualis Vir! sed a secretis Dæmoni. Eligantur igitur ingenia quam optima, quæ res divinas administrent, nt Christo prius emollita, neque Neophyta, quæ juventutis ferociam non despumárunt, non Cervicis inflatæ, quæ jugum pati nesciunt: nam ea, velut ignis sacer, omnia statim involant, nihil illis ἀκίνητον; non eam Antiquis habent reverentiam, quam Æneæ Patrem humeris ferenti, vel ipsæ flammæ præstiterunt.

2. Ad μάθησιν jam procedat oratio. Quatuor hæc constabit, *Peritia linguarum*, *Rationis arte*, *Divina Philosophia sacraque facundia*. Primo, quibus datum est, omnia congerant Orientis aromata; sed Trilinguis ad minimum sit Theologus; et huic ætati gratuletur, cui tot linguarum januæ reseratæ sunt; plus uno mense jam proficiat, quam Patres anno valuerunt; priusquam præclarissimus Erasmus mundo illuxit; ille primus Monachorum barbariem et profundas Scholasticorum ineptias vidit, dispulit, explosit: ille literas humaniores et Patres jam situ squalescentes ad vitam revocavit; in proclivi est, jam inventis addere.

Primus

Primus in obliquum Sonipes impellitur annem
Excepturus aquas, facili tum tramite pergit,
Cætera turba vado, &c. ---

In parato est nobis μέγα βιβλίον, Excusum eorum industria præclarissima, qui, spe jam Ecclesiæ, simul cum Sereniſſimo Principe *decollata*, & imminente nunc Academiis exitio, & rebusq; omnibus spoliati, statim in illud opus incubuere, quod et æternum Angliæ decus et opprobrium est futurum. Nimirum non est victa virtus licet obruta, duris ut Ilex tonsa bipennibus --- *ab ipso sumit opes, animumque ferro.* Captis Syracusis non tam necesse est ut vivat Archimedes quam ut Philosophetur. Et in eo sane non solum digitum Dei, sed et manum agnoscere debemus. Ut enim Apostoli disjecti simul Evangelium sparserunt, & eorum ignis ventilatus invaluit, utque suaviſſima providentia Deus coegit Satanam ipsi verbo ministrare, sic causæ Regiæ simul et Ecclesiæ testimonium exhibuit ipsa persecutio.

Illi debemus Biblion Waltonianum. Obstetricante Bellona prodiit in lucem, ab Ejectis Academiis, et tum prægnantibus, cum a Lupercis vapularunt. Sed ad institutum. Cum Alexander ille magnus in Orientales Indos bellum parabat, in procinctu stans Pædagogum increpabat quod

thura Diis parcius adoleverat; hoc illi ſucceſſit optime, quare poſt Victoriam omnes Orientis divitias in Altare congerebat. Nobis Auditores ad Orientem compendifacta eſt navigatio, imo ſubigitur ab illa legione, quæ merito immortalis appellatur: Lex gratiarum poſtulat, ut thura myrrhamque Deo fuſius offeramus. Quare ſapientia Veterum contenti ne ſimus, cum eorum humeris ſuperſtruimur, hac ætate ferendus non eſt Hilarii lapſus in Dictione Hoſannah, multo minus Aquinatis duo boli, imo nec ipſius Athanaſii παρόραμα, qui, cum Ariani Proverbiorum Octavi verſum vicesſimum ſecundum contra divinam Chriſti naturam ex Septuaginta verſione citaſſent non advertit ὁ πάλυ, ex Hebræo colorem dilui potuiſſe, ubi eſt קנני poſſedit me (*i. e.* Sapientiam) ab initio. Non ἔκτισέ με· *i. e.* condidit, ut in Græco. Neve quis vocum ſcientiam nimis deſpiciat, audiat primo Sanctum Hyeronymum. *Non ſunt parva contemnenda, ſine quibus maxima nequeunt conſiſtere.* Dein & Platonem, ὡς ἂν εἰδῇ τὰ ὀ όματα εἰσεται ἢ τὰ πράγματα. Sed opus eſt aliquando linguis fœno et ſufflamine, ſine quo ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας. Sine rationis arte ſubacto judicio, ſtatim a linguis hæc mala profluunt in Eccleſiam.

Vel

Vel enim inanis verborum ſtrepitus, nulla ſubjecta ſententia, magnoque charitatis diſpendio, prurientes aures obtundet; &, cum rebus omiſſis, de verbis ſit litigatio: Tot pariter pelves & tintinnabula credas Pulſari. Bellum inde Grammaticale, clamatur εὕρηκα, & inanes efflantur gloriationes; quod tam indecorum eſt æternorum Miniſtro; quam Domitiano fuiſſet poſt muſcas ſubactas egiſſe triumphum, vel aſcendiſſe Capitolium.

Vel Superſtitioſa Cabaliſtarum myſteria de verbis & apicibus collecta locum ſolidæ ſapientiæ poſſidebunt: Vel ſtrophis et argutiis Evangelii ſimplicitas torquebitur, quaſi Religio ſit ſolius capitis, & non cordis potius negotium, ac ſi pereundum eſſet omnibus, qui Sphyngis ænigmata non poſſunt ſolvere: Vel Φιλιππίζειν cogetur verbum, utque lyra, ſonum eum reddet, quem digiti pulſantium poſtulant, Vel ex vocibus ambiguis Hæretici latebras et ſubterfugia quærent; hac ſi non ſucceſſit, *aliam inſiſtunt viam; nam mus non uni fidit antro.* Imo ſit fidei licet integerſimus, Alogicus tamen in multos errores incidet. Vel enim Controverſias dirimet ut Alexander nodum Gordianum: quem ſolvere non potuit, gladio diſcidit (et effringere portam mallent aliqui

qui, quam aperire) vel absque Textu sæpe concionabitur, hoc est ex hypothesi, quæ nullam habet thesin in scriptura præ manibus; et tum magnifica structura surgit de nihilo, et magnum per inane jactat brachia. Vel membra divisionis coincident idemque, mutatis manibus, ut *circulatores*, ostendet, Vel a similibus et typis, a Testamenti Veteris exemplis, a factorum incertis circumstantiis, non solum illustrationes et lumina, sed doctrinas et dogmata vel obtorto collo trahet; ex quibus æterna pendebunt, hisque fidei simplicium inequitabit. Denique (quæ præsens Ecclesiæ calamitas est) a Negativis concludet in rebus adiaphoris; nam hoc modo ab hujusce seculi Oraculis edocti, Laniones, Bajuli, Tinctores, Institores, imo Lotrices, Obstetrices, Meretrices, argumentantur. Ubi superpellicium in Scriptura? ubi signatura crucis aut genuflexio? fidem hic adulteratam clamant, et Christum e solio suo deturbatum. Non satis est iis illa prædicta nullo verbo prohiberi, et ubi non est lex, ibi nulla est ἀνομία, et in his, aut nullibi parendum Ecclesiæ. Primo Satanas objecit Christo, scriptum est, jam *non scriptum* interturbat Ecclesiam. Nimirum Serpens imitatur gladium versatilem, dum in omnes partes flectitur, et huc illuc *sinuosa volumina torquet.*

Quare

Quare cum Dialectica ſit inſtrumentum omnium Scientiarum, abſque hac nec verum aſſerere, nec falſum redarguere datur, hæc univerſum diſtribuit in partes, eruit latentia, dilucidat obſcura, ſuis quæque locis aſſignat Deum imitata, cujus radius eſt, qui fecit omnia pondere numero, menſura.

At Linguarum Logicæque peritia non ſatis Miniſtrum inſtruit, ſine rerum theſauro, quem ſacram appello Philoſophiam, vel quod a ſacris Scripturis petitur, aut iis humillime ſubmittitur, undicunque derivatur vel a Patribus, aut Conciliis, aut Hiſtoria rerum in Eccleſia geſtarum, vel a Scholaſticis. Pauca de ſingulis.

1. Ut umbra picturam non commendat ſolum, ſed illuſtrat, ita Vetus, Novum Teſtamentum. At quæſtiones hic in immenſum creſcent iis, quibus aut Talmudiſtis, Polemicis, aut Cabaliſtis vacat; Urinatores eorum quam plurimi ſunt, qui in profundum immerguntur, ut inde teſtam vel concham ſpecioſam cum triumpho efferant. At quædam ſane neſcire præſtat. Nam in rebus arduis, non tam ſpecioſa quærenda ſunt, quam uſu neceſſaria. Qui non ad eventum feſtinat, ſed quemvis obvium ſalutat per viam, cum ad Civitatem Refugii curſus incitandus eſt, næ bonas horas male collocat

cat & de reduviis ſolicitus eſt, cum de vita ſit periculum; in his igitur prudentia valeat abſque qua parum proſunt præcepta. *De Novo Teſtamento videamus.* Certe multum Chriſtianorum Intereſt liquido ſcire quodnam diſcrimen eſt, quoad fidem et mores inter duo fœdera, ne forſan ignoremus cujus ſpiritus ſumus, ut Apoſtoli a Chriſto objurgati, Lucæ nono; imo, ne quoad charitatem, ipſam pietatis animam, Chriſtiani non ſimus, quod nobis, jam admonitis eorum exemplo, quos increpabat Chriſtus, et ſub Evangelii clariſſima luce conſtitutis ignoſcendum non eſt. Atqui nonne hoc eos latuit, qui nuper Reformatorum nomine gaudebant, qui jure zelotarum agebant omnia, ſine lege et regula, ſaltem Chriſtiana, nec tam a Cœlo quam ab inferno petebant ignem, quo ſacrificium Deo offerendum accenderent; at iis parco, nam mihi bidental Sacrum.

Certe non quicquid Judæis permiſſum fuit, quoad mores, dum iis futuram vitam Deus terrenis ſymbolis adumbrabat, id nobis etiam licitum, quibus æternæ ſalutis gratia clarius affulſit, non quicquid olim Sancti Patres egerunt, etiam ſine vituperio, præſertim in exteros, id ad Chriſtianorum vitam accommodandum, qui mundi Cives

ſumus

ſumus, non unius Civitatis,& quos decet erectiore fiducia & multo alacrius ad Cœleſtia contendere.

Quisquis autem docet non oportere Chriſtianum potius vitam profundere, quam vel cauſa Religionis invito Magiſtratu ſupremo arma capeſſere; dicam audacter,tam Cœcus eſt Ductor ut Agnum præ Lupo, Vulturem præ Columba, Mahometem præ Chriſto nequeat decernere.

Quædam, ut noſtis, Auditores, ſunt utrique Teſtamento communia; placeat vobis meminiſſe (nihil enim affero novi, non id in me ſuſcipio) multas utriuſque conſuetudines, imo ſuperſtitiones utroque memoratas, vel ſubobſcure perſtrictas leges, mores, inſtituta, locorum ſitus, temporum et perſonarum differentias, rerum proprietates, occaſiones verborum ex quibus emerſerunt, quæ tamen ex Scripturis ſemper elici nequeunt.)

Intelligi prius oportere, quam in verbi ſenſum penetrare poſſimus.

Sed hæc, pro ratione temporis, delibaſſe ſufficiat.

Sequitur Patrum cognitio & rerum in Eccleſia geſtarum.

Quantum intereſt rei Chriſtianæ (præſertim noſtræ) praxin & doctrinam primitivam ad manum habere, vel inde conſtabit. Eccleſia noſtra duobus impetitur adverſariis, primo a Romanis, qui Patres crepant ut juratos in cauſam ſuam teſtes; ad Patres, ut ad ſupremum Tribunal ſemper in omni cauſa provocant. Et nos eos in controverſiis, ut Diribitores admittimus; nam ſunt Religionis Chriſtianæ Proceres, quam ab Apoſtolis receptam & perpetua praxi confirmaram ad noſtra uſque tempora tranſmiſerunt.

2. Sunt ex altera parte, ſunt quidam Romanis hoſtes infeſtiſſimi (quorum tamen cauſam oppugnando promovent, dum medium inter extrema repudiant;) hi quoque nobis primævam puritatem objiciunt: Nos, hoc admiſſo, quod alia ſit ratio Eccleſiæ conſtituendæ, alia conſtitutæ (ſine quo nec ſe tueri poſſunt adverſus omnes *Enthuſiaſtas* & *turbines*) ad illibatam adhuc et intemeratam Eccleſiam provocamus: at ſi quid iis hinc adverſetur, in parato eſt ſubterfugium, *Incipit tum temporis iniquitatis myſterium.* Indignum ſane facinus; & non communibus hoſtiis expiandum, inquit noſter Montacutius, quicquid olim fixum fuit et ubique receptum per multa retro ſæcula, id

Novitios

Novitios homines condemnatum profligatumque abolere, quod, poſt regulam cælitus traditam adhiberi debuerat ad controverſias dirimendas & pacem Eccleſiæ ſtabiliendam; interim dum ἀυτοπιστίαν Scripturæ prætendunt ſuas ipſorum ληρῳδίας & deliria ſpecioſo verbi nomine nobis, pro imperio, non verentur obtrudere.

Sed non ſolum adverſa deſtruimus hiſtoria Veterum, at etiam propria ſtabilimus. Hæc enim, dum varia ſapientiæ divinæ ſtromata nobis explicat, Antiquorum conſenſu fidem confirmat, exemplis ad pietatem nos excitat, præſertim, ſi contemplemur illa, quæ Heroicis Apoſtolorum temporibus proxima fuerunt.

De Polemicis, quos Scholaſticos dicimus, hæc animadvertenda ſunt.

Primo; quod Lectori ſæpe faciunt injuriam, dum eum cruciant adductis utrinque probabilibus, interim Lector ſuſpenſus hæret, ut Equus Scholaſticorum, dum inter duos fœni faſciculos ex omni parte ſimiles, & æquales collocatur, fame pereat neceſſe eſt ſine diſcrimine, quia bruto non eſt Electio.

2 Multa ſunt in iis futilia, qualia Socrati objecit Ariſtophanes, de pulicum paſſibus emetiendis: vera ſint necne, non titivilitium valet, aut lanam caprinam.

3. Ex hypotheſibus, aut falſis, aut incertis ſæpiſſime concludunt, ita Romani primam Philoſophiam Chriſto in Euchariſtia præſenti corporaliter, uti loquuntur, (ut cauſæ nimirum ſerviat) adaptarunt; utque (cum Ægyptiis) adorent prius, quod comedunt: ἀσύστατα mille connectit Metaphyſica.

4. Quædam eorum ſunt ut fructus arboris in mare de præcipitio proclinantis, ſine vitæ periculo nemo colligit, & collectos ſi quis deguſtet, amaritudo fauces conſtringit.

5. Eorum diſtinctiones ſæpe non tam convincunt, quam confundunt adverſarium, eique ſilentium imperant quadam reverentia, ne videatur aut non capere ſubtilia, vel myſteria contemnere; (dum crepare quiddam ſolidum videntur) quare conturbatus obmuteſcit. *Ita ſedatur infans*, dum concutitur crepitaculum.

Poſtremo id notandum, emerſiſſe ſcientiam eriſticam, poſtquam Græciæ Romæque Venuſtas evanuit, & cum omnia tenebris ſubtexerentur; inde magnos clamores extuliſſe Scholaſticos inſtar Polyphemi, cum ei oculum Ulyſſes exſculpſerat.

Quædam tamen ex iis ſaporem habent, ſi grano ſalis condiantur, & ſi purgentur, ſecundum illud Judæorum

Judæorum: Comede dactylos; ſed foras projice duritiem. Alia ſunt ex hypotheſi nobis neceſſaria cognitu, & uſui, ut arma militaria, quæ fraus, ambitio, avaritia, vindicta procuderunt. Utque bellum inter Chriſtianos excuſat ſolum ingens telum Neceſſitas: (ideoque ſemper obtenditur) ita verbale bellum et logomachiam, quam hæc ætas ferrea protulit, illud Chriſti ſolum (ex parte ſe defendentium) Neceſſe eſt ut veniant Scandala.

Reſtat ſacra facundia. Jam navis Oneraria de portu ſolvenda eſt. Clavum tenet Dialectica, ſaburram ſimul et onera dat linguarum et rerum ſcientia. Sed malacia quadam fixus hæret navita, niſi vela Ventis faventibus explicentur.

Imo ſtatuam adhuc habemus, non hominem; colorem, vitam, motum, lumen dat ſacra facundia. *Figuram* conſtituunt ordo partium et proportio; venuſtatem, colorem apta diſpoſitio; ex utraque fit Orationis Helena. Legimus Eccleſiaſten cap. 12. v. 10. דברי חפץ *verba voluntatis*, i. e. *placentia quæſiviſſe*, non quæ pravos affectus demulceant (abſit hoc, abſit longiſſime) ſed quæ utili dulcedine permeent in *intimos* animorum receſſus.

Duo-

Duo ſunt hic evitanda; primum id, de quo queritur eloquentiæ Romanæ Princeps, etiam eo tempore, mutatum dicendi genus ex ſano et ſobrio in luxus et delicias, quaſi virili veſte poſita, muliebrem ſumpſiſſet. Procul abſit hæc mollities a nobis, ne videamur, non tam rem divinam meditari, quam ad citharam canere, neve populus coeat in domum Dei tanquam in theatrum, ad oblectationem ſenſus, animarum ſalute poſt habita ut illi, *Ezech.* 33. 32.

Sed ex altera parte ſunt, qui pro ſolidis et efficacibus obtrudunt populo conciones frigidas, jacentes, ſegnes, quæ animos potius dejiciunt quam excitant; aut eas, quæ ventilant, aut titillant interdum, nunquam feriunt aut cædunt, nedum pravas cupiditates et depravata Principia peccatoribus expectorant; & dum ſapientiam verborum declinant, (ne quid humanum ſapiant) ineptis ſimilibus, argumentis delumbatis, ordine fuſo et diſſipato, nihil ſuo loco & tempore dicentes, Scripturæ Majeſtatem dehoneſtant & contaminant. Interim in auxilium cerebro pulmones ſuccurrunt. Nam ubi cuneus obtuſus eſt, ibi plus virium & gemitus ſciſſura poſtulat. Atqui ſemper apud nos hoc fixum & certum eſſe debet, nec ſuavitatem Iſocratis, nec ſubtilitatem Lyſiæ,

nec

nec Æſchinis ſplendorem, nec vim aut fulmen Demoſthenis, nec Platonis, Xenophontis, aut ipſius Ciceronis inacceſſam, & nulla difficultate rerum ſuperatam eloquentiam cum Scripturæ vi et energia poſſe contendere: ſed hæc Ethnicorum Oracula Chriſto exorto velut elinguia fiunt & obmuteſcunt. Ne ſit igitur Hagar Dominæ Rivalis, ſed reſectis unguibus, et coma depoſita ſubſerviat. A Deo ſolo profluit illa, quæ Majeſtatem Divinam decet oratio.

Ad ἄσκησιν deventum eſt; hæc aut velitatio ſit, aut juſtum in re certamen.

Etiam illi, qui neſcire dicunt Spiritum tarda molimina: tamen cum Dædalo ſibi privatim effingunt artem volandi, priuſquam iter liquidum radant et magnum *per inane ferantur*. Sub lege per gradus aſcenderunt ad ſuggeſtum: primo Literator appellabatur *Talmid Chakam*, Diſcipulus ſapientis: dein poſt manus impoſitas, *Bachur Chabbir* γνώριμος, aut ſocius Doctoris, tandem Rabbi.

In Eccleſia Chriſti primitiva primo λύται fuerunt, *i. e.* Solutores dubiorum, dein πρόλυται Proſolutores difficilium, tertio ἀρχέλυται, qui ſummas controverſias dijudicarunt.

Quod

Quod nam igitur hoc hominum genus eſt, qui nuper emerſerunt, qui docent priuſquam diſcunt, ὁ πίθῳ κεφαλίαν?

At hoc proprium iis ſit, qui ut Rheæ vel Martis Sacerdotes ſonitu tympanorum & clangore buccinarum inſpirantur.

Eorum intereſt, ut tanquam fulgura proſiliant, qui Bellonæ potius, quam Evangelio pacifico miniſtrant. Ad reſtaurandam Eccleſiam opus eſt mora et conſilio; ad evertendam furor arma miniſtrat. Ferunt ex Leonum catulis, eos, qui præacutis unguibus ſu nt, præmature viam ad lucem ſtimulare, quare ſemper infirmos in poſterum eſſe, nec unquam ad juſtum robur accreſcere. Sit hoc præproperorum et præcipitum in Eccleſiam Hieroglyphicum. Nam maciem in futurum pollicetur ante diem exactum excluſus infans, et (quod monſtri ſimile eſt) verboſus. Habent hi blaterones commune quiddam cum avibus nondum plumatis, quæ πτερυγίζειν dicuntur, hoc eſt irritum ad volandum conatum facere; dumque Matris cuſtodiam deſerunt, aut vulturibus præda fiunt aut ludibrium. Cum nimis præpropere frons *immatura diſtringitur*, inquit Quintilianus, *acerbum quicquid eſt, profertur, operis contemptus innaſcitur & (quod eſt ubique perniciociſſimum) præ-*

prævenit vires fiducia. Quare ſubigatur prius judicium,et ætatis ferocia decoquatur; et,cum ſtudia in mores abeunt, antiquo Theologiæ ſchemate memoria repleatur, non ſolum novo. Nam hoc Columbæ nimium Serpentis admiſcuit: ab Antiquis et caſtiſſimis imprimis exſcribat *Uraniæ* Candidatus, quæ ſervet in ſanctiſſimo mentis receſſu. Inde pectus excelſum et exaggeratum,virtutum, et charitum choro refertum externa deſpiciat,ad ſuperna jam anhelet, humiles et ſordidas curas aliis mandet,ipſum ſe cœlo aſſerat et animarum ſaluti: ſit hoc otium et negotium; ſit labor et quies; in hoc Vigilia, in hoc etiam ſomnus reponatur.

Ordinibus jam ſacris admovetur Theologus impulſu conſcientiæ, non beneficii; ſed gemibundus et lacrymas ubertim effundens: hoc cœleſti rore verbi ſemen humectatur. Et jam *ſpecimen ſpecitur*,cum ideas rerum ex umbris Academicis in lucem profert, et poſtquam a cœleſti Academia doctus ſeipſum didicit penitus et excuſſit, in utrumque paratur, ut videant Auditores verbum, quod audiunt. Duobus, quæ ſequuntur, abſolvam. Unum nos reſpicit in monte collocatos, alterum in plano ſitos. Primo Divinus Orator illum Præceptoris ad Diſcipulum σκόπησον, obnubila te-

 nebris

nebris concionem, omnino repudiat. Fœdiſſimus enim ſolœciſſimus eſt *lumen tenebroſum, & ſupra Candelabrum abſconditum.* Interpres mentis ſit oratio; quare facilis ſit & dilucida. Dæmonum oracula dubia fuerunt et obſcura; Chriſti clara ſint et illuſtria: ſed mediam hic inſiſtit viam. Nec enim humi ſerpat, qui ſpirat cœleſtia; neque nubes captet & inania, quod imbecillitatis argumentum eſt; (Nam Nani ſtatim in pedes eriguntur) at *humilis quædam ſublimitas, & ſacra magnificentia & authoritas reverenda cogant in aſſenſum Auditores, & faciant ut diſſentire vereantur.* Ideo & fortibus & fulgentibus armis præliandum: nec enim nos tam fulmina confunderent; ſi vis eorum tantum, non etiam fulgur timeretur. At nunquam *vera ſpecies ab utilitate ſejungitur:* imo vim rebus aliquando vel ipſa verborum humilitas affert. Quare ſapiens ad omnia reſpicit, nec ſolum advertit, quid; ſed quibus dicit, quo loco & tempore, cui fini. Multa ſunt in ſe ſpecioſa, quæ venuſtatem amittunt, importuna ſi ſint; ut aurea poma luto inquinata: ſic dignitas in improbo vileſcit, neque margarita naſus ornatur. Quædam Veritates ſunt ut ſal & panis, ſine quibus nulla menſa ſternitur iis, quibus virium et valetudinis cura eſt; ut, quæ fidem & pœnitentiam reſpiciunt,

reſpiciunt; Aliæ ſunt ut *bellaria*, quæ palatum reficiunt; at ſolæ ſi adminiſtrentur, effœtos reddunt et quidem luxu diffluentes Chriſtianos; Aliæ ſunt ut condimenta, quæ ſtomachum inertem ſtimulant et exuſcitant; Aliæ ſunt ut convivarum leges, ne quid indecore fiat, ab architriclinis imperatæ; ſine quibus tamen omnia peſſum eunt, et ſæpe deſinunt in funeſtum illud Thyeſtæum convivium. Sine diſciplinæ legibus Eccleſia fit Cyclopum ſocietas, et ἀκούει οὐδεὶς, οὐδὲν, οὐδενός. Obedientiam igitur ſacrificiis eſſe præferendam totis viribus et undique conquiſitis argumentis evincendum eſt; Sed hoc ſuo tempore: κακὸν γὰρ καλὸν, εἰ μὴ καιροῦ τύχῃ.

Politicorum axioma eſt; ubi mores hominum perditi ſunt, et incolumitas reipublicæ periclitatur; ad ea recurrendum eſſe Principia, quibus primum viguit; et collapſam diſciplinam eſſe reſtituendam. Idem adaptatur rebus Eccleſiæ: bonis legibus, et ſolida pietate primum floruit, iiſdem reſarcienda eſt. Agamus igitur, Viri ſpectatiſſimi, non dicamus ſolum, ſed rem divinam faciamus. Non remiſſe: nam Dei cauſam agimus, et ex momento æternitas; non gloriam captantes: nam qui inani ſpecie famam quærit, cito contemnitur; *ubi ſubſedit affectus, in locum judicium* ſubit:

Abſit προσωποληψία. Quid enim æque religionem abjecit ac proſtituit, ac turpis adulatio? Acerrimum id dictum cujuſdam anonymi, *Pauci Nobilium Sacellani ſalvantur.* Nimirum quia Dominis blandiuntur.

Iniquitas, conſpicua Pandoræ pyxis eſt; malorum compendium, & quaſi cœleſte portentum, iram Dei truculentam denunciat. Non igitur iis parcendum eſt, qui nobis exitium minitantur.

At rabiem a zelo diſtinguamus, ne videamur, ut Phœbi Sacerdos, qualis a Poeta deſcribitur,

——— *Immanis in antro*
Bacchatur Vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum; tanto magis ille fatigat
Os rabidum, &c.

Amor animarum chariſſimus emineat; ſic enim faciles aditus invenit Oratio, & in penetralia pectoris admittitur, ut amicus oſtio non pulſato.

Frequens Apoſtolorum κοινωνία ſit; ſic invidiam amolimur, cum nil humanum a nobis alienum ducimus.

Lex Evangelio ſic temperetur, ut amor noſter Deum metuat, et metus amet.

Denique de tali animo proficiſcatur oratio, qualem Auditorem facere velimus; et in omnibus Deo ſoli Deique vicem gerenti Conſcientiæ, ſerviamus.

A.

A monte jam deſcenditur, in plano ſumus; agendo ſpectemur. Ab oratoribus, uti noſtis, Ethnicis, Magiſtri Eloquentiæ virtutes omnes exegerunt; quia potior ratio optime vivendi, quam dicendi videtur: neque pejus eſt ingenii eſſe tardi, quam mali.

Oh! qui pudor Evangelii Miniſtris, nullibi aliis ſupereminere præterquam in Pulpitis! Humilitas imprimis chorum ducat, quæ eo excelſior, quo depreſſior: hanc Architecti rejecerunt: lapis ſit angularis.

Elogium noſtrum ſit ὑμᾶς ὐκ ὑμέτερα. Ne videamur, ut Jovis Ethnicorum Sacerdotes, quem Auguſtino referente, *Nummum* appellarunt. Eleemoſynis gaudeamus. Nam hæc manuum eloquentia plus valet, quam omnia verborum tonitrua.

Concordiam inter nos colamus: ubi paſtores litigant, authoritas detrahitur, odioſe rixantibus infirmorum fides labefactatur, et Dei munera in exitium mutuum convertimus.

Ἀνέχεν igitur diſcamus, iram cohibendo. Quam pudet! indoctos habere magis ſedatos et æquiores animorum affectus, quam cœleſtis Philoſophiæ ſtudio addictos, qui tamen videri volunt aſcendiſſe ſupra cœlorum illam partem, ubi tonat et fulgurat, et iratis nubibus omnia tumultuantur.

At

At ἀπέχεσθαι etiam cura ſit. Ægyptiorum Sacerdotibus illicitum vinum fuit; et Flamini Diali fabam nefas attingere: primo ſobrietatem, altero caſtitatem innuebant.

Nimirum ſtudio cœleſtis ſapientiæ vacare mens niſi vitiis libera non poteſt; *quod in eodem pectore nullum eſt honeſtorum turpiumque conſortium.* Atqui parum eſt Dei Myſtis non inſigniri vitiis; nullo inuri ſtigmate; nullo flagitio conflagrare; ſit hæc laus plebeculæ: ſed abſtinere licitis, ſi mali ſpeciem habeant; et extremis lineis a peccato removeri; hoc dignum eſt Evangelii Miniſtro. Alii Dei ſervi ſint; hic amicus Deo chariſſimus, qui non ſolum Principem tenebrarum excludit; ſed etiam parvos latrunculos, qui per foramina ſenſuum irrepunt, in veſtibulo elidit. Et, cum vultu ſæpe læditur pietas; vel inde Deo Sanctitas appareat: abſit autem illa Cyclopis auſteritas, quæ jugulat hominem aſpectu, *Nec viſu facilis, nec dictu affabilis ulli.* Abſit etiam affectata gravitas, quæ vel inceſſu conſtat, aut qua ſupercilium vibratur; habeant hanc Phariſæi communem cum meretrice Babylonica, cujus fronti, ut noſtis, inſcriptum eſt μέγα Μυστήριον. Exhibui vobis Auditores Theologi Exemplar, vel potius Monogramma rudi penicillo; non Eccleſiaſten ad Criticum unguem

exactum

exactum : id assequi, meum non est, fateor, ex imo pectore fateor ; οὐδὲ τρίτος sum, οὐδὲ τέταρτος, οὐδὲ δυωδέκατος ; at mediocris artifex rudia signa & exasciata potest a lævigatis & venustis discernere.

Restat unicum, ut ad agendum his stimulis excitemur. 1. Tum demum Authoritas in concionibus valebit, cum facta verbis congruent : at si ἄνευ τοῦ πράττειν μέχρι τοῦ λέγειν, Ministri simus (ut ille de fictis Philosophis) eo magis deformes erimus, quo pulchrius ; id est, quod simulamus. 2. Quanto propius Deo accedimus officio, tanto longius impietate removemur. Quid enim aquam lavet, aut salem condiat? aut ubi gradum sistat a Cœlo lapsus Angelus, priusquam in infernum detrudatur?

3. Qui deest officio, utrinque miser est ; sive sciens id faciat, sive inscius : si norit animarum salutem, & rationem Deo reddendam : malitiam Sapit Diobolicam, sin autem nesciat ; an Ignorantia juris excuset juris peritum? nedum judicem.

At *hæc cervix non sola cadet* ; aliorum sanguis nostro miscebitur, dum late nobiscum ruinam trahimus, et contagionem (ut pestis meridie prodeambulans) in omnes partes dispergimus. Deniq; tum scelera per abruptum eunt, et in præceps ruunt, cum *acceperunt honorem a Magnatibus, & quandam Reverentiam a Ministris.* Nam quod

tam

tam magnis Exemplis fit, id jure fieri videtur. Inde vitia quaſi conſecrantur, ut peſtem & æruginem Ethnici pro numinibus adorarunt.

Agamus igitur, Viri ſpectatiſſimi; in palæſtram hanc incumbamus: ultimos conatus noſtros Eccleſiæ præſentis conditio poſtulat, nec ullibi terrarum alia curam erectiorem deſiderat.

Obſidemur hinc Romanis, qui imperium orbis affectant; illinc, qui alta voce clamant, venient Romani. Nam hi ſunt illæ beſtiolæ, quæ leonibus prædam excitant.

In tanto cardine rerum ne ſecuri ſimus: ad Triarios res rediit, et de ſumma rerum contenditur. Hinc igitur audire eſt ululatus luporum; illinc cuniculis agunt vulpes, et vineam arrodunt clanculum: omnibus viis & modis nos impetunt et laceſſunt. Excitemur igitur per viſcera Jeſu & evigilemus: agetur jam Patris Cœleſtis gloria, Matris incolumitas, *animarum* ſalus: imo Epheſi ſumus; & cum iis beſtiis pugnandum eſt, quæ diverſis & inter ſe pugnantibus naturis conflantur. At nemo ſuccumbat Oneri, ſed potius difficilibus inſurgat. Nam ubi Chriſti viribus & auſpiciis res agitur,

Fidere tam fas eſt quam dubitare nefas.

Immortali Deo Patri, Filio, Spiritui Sancto, ſit omnis laus & gloria, nunc & in Sæcula.

FINIS.

LIBRARY · LAMBETH PALACE